

admoverimus manus. Ea propter universos & singulos horum Regnorum nostrorum Status & Ordines harum serie Regia nostra adhortatur Clementia, quatenus visis aut intellectis iisdem, Homagialis Obligationis suae memores, debita quaevis fidelia obsequia, nobis, tanquam legitimo Regi & Domino suo Clementissimo rite coronato, praestare & haud minori quam reliqua Regna & Prouinciae nostrae haereditariae deuotione sincere demonstrare ac exhibere studeant. Securi in eo existentes, quod nos haecce Regna nostra Omnesque Eorundem fideles Status & Ordines in suis Juribus, Priuilegijs, Libertatibus & immunitatibus, iuxta etiam praeattactum benignum Diploma nostrum Regium Assecuratorium ipsis extradatum, illibate et inuolabiliter observabimus & obseruari faciemus, ac nihil eorum, quae ad Conseruationem, defensionem, procurandam Tranquillitatem & Emolumentum praefatorum Regnorum nostrorum perlinere animaduerterimus, seu in Generali Diaeta, quam aliunde proxima Commodiori Occasione celebrare intendimus, seu alias etiam, jntermitemus, Imo omnem conatum & operam in eo adhibitori, ut in nobis benignissimum Dominum ac Regem experiri valeant, Nosque omnium subditorum nostrorum optimam de Nobis Expectationem si non superare ast certe aequare adnitemur, Gratiae & Clementiae nostrae Caesareo-Regiae sinum nemini praeclusum volentes. Datum in Civitate nostra Vienna Austriae, die decima quarta Mensis Maji, Anno Domini Millesimo Septingentesimo quinto. Regnorum nostrorum Romani decimo sexto, Hungariae & reliquorum decimo octauo. Bohemiae uero Anno primo.

Josephus m. p.

(L. S.)

Paulus Mednyanszky m. p.

Ladislaus Hunyady m. p.

*In margine:*

Patens ad Status Regni Croatiae, quibus obitus Augustissimi intimatur, et ad seruandam Vestrae Maiestati Sacratissimae fidelitatem adhortatur.

Orig. in Archivo Regni Croatiae, Acta Regni Congregationis a. 1705. Nr. 3.